

053

051

057

047

062

042

102

002

152

552

Ende

Anfang

42

enim ad lyram Apolline pulsante canunt et saltant. Sive autem sit Musarum, sive Nympharum domus, utique potenter eam continent; sed ne homo, cuius est habitatio, nocumentum per eam habeat, singulis mensibus in die litarum (calendarum?) domum ingrediens invenit super mensam panniculo illigatum pecuniam tantam, quantam accepturus erat ab eo, cui domum locasset. Quid autem hoc totum, quod dictum est de domo, veritatis habeat, iudicio legentis derelinquo, gentiles hoc nobis dixerunt magno serio, ideo gentilium dicta de Nymphis et Musis inseruimus. De Nymphis plus vide fol. 325.

Deinde progressi sumus, et ad unum venimus hortum maceria circumdate. In illo horto stetit quandam arbor vetustissima, quam vulgus uterque Sarracenorum et Christianorum venerabatur, quia a prioribus acceperant, sub ejus umbra quievisse Virginem Mariam cum pueru suo Jesu; ideo quotidiane fuit accessus ad arborem, et sub ea genibus flexis salutabant Virginem (B) et filium benedicebant per Ave. Contigit autem in proximis annis praeteritis, quod quinque viri seditionem magnam in urbe concitaverunt, et plures in seditione peremti sunt homines, fugam autem arripientes auctores comprehensi sunt per Soldani famulos in horto illo, et statim in furia suspensi ad ramos arboris sacratae, eadem autem hora arbor funditus exaruit; et in ea litteris Sarracenis eis sculpsérunt angelicam salutationem, et praefatum factum, et ex hoc locus ille usque in hanc horam venerabilis habetur, et virgo Maria honoratur etiam ab infidelibus.

Consequenter per Nili oras ascendimus, et in forum super Nili litus venimus magnum, ubi erat infinita hominum multitudo, negotiantes juxta naves, quae ibi onustae stabant in magna compressione. Siquidem naves magnae et multae oneratae diversis ad usum humanum et ornatae picturis ibi in Nilo stabant protensis rostris prorarum in terram. Ibi etiam vidimus camelos multos valde, qui ad litus fluminis onerabantur utribus aquae, quam per civitatem circumducebant et vicos perfundebant ad supremendum pulveres excitatos per discursum hominum et bestiarum; nisi enim hoc fieret, suffocarentur homines, ut patebit clarius in civitatis descriptione inferius.

Deinde extra urbem processimus contra desertum Africæ ad admirabiles pyramides et titulos sepulchrorum antiquorum regum

